

Ob 11



Jahresbericht
über das
Königliche Katholische Gymnasium
zu
Braunsberg
in dem Schuljahr 1854 — 55,
mit welchem zu der
öffentlichen Prüfung am 2. August
und zu den
Entlassungsfeierlichkeiten am 3. August


ergebenst einladet

der Direktor der Anstalt

Dr. Ferdinand Schulz.





Vorangeht: **Quaestionum orthographicarum decas.** Vom Direktor.



Braunsberg,
gedruckt bei C. A. Heyne.

1854/5



AB 1471

U

t in ceteris rebus, ita etiam in scribendis vocabulis Latinis sequi morem antiquitus traditum tamdiu optimum atque verissimum est, dum certis rationibus et quae refelli non posse videantur aliam viam ingredi cogare. In examinandis vero illis rationibus cavendum est, ne animi inclinatione aliqua vel opinione praeiudicata ducamur neve obscurae rei difficultate laborisque taedio commoti, antequam satis perfecta atque absoluta quaestio sit, dubia pro certis et falsa pro veris amplectamur. Quod quum in orthographia Latina multis acciderit ac nostra quidem aetate adeo increbescere videatur, ut quod vocabulum ab ullo unquam librario insolentius scriptum reperiatur, id nunc eodem modo edendum in libris putent: quamquam rem difficilem esse et plus laboris habituram quam gratiae intelligebam, tamen ea vocabula, in quibus summa dissensio est, pertractare institui et pauca saltem ex his, quae perfecisse videor, hoc loco proponere conatus sum. Nulla potest oriri dubitatio in iis vocabulis, quae vel aperto aliquo veterum scriptorum testimonio vel originis necessitate vel consensu omnium certis iisdemque semper literis scripta sunt; etiam in iis aequa eligendi potestas erit, quae constat ab ipsis veteribus, quorum nobis vestigia sequenda sunt, varie scripta esse, dummodo unum aliquod eligas et constantiam serves: ea vocabula evocanda sunt, quae quum apud bonos scriptores unum tenuisse scribendi genus appareat, tamen in monumentis illis, per quae antiquitas Romana ad nos decurrit, vel ignorantia eorum qui scripserunt vel errore deformata sunt. Itaque in rebus dubiis ad haec potissimum monumenta recurrentum est eorumque auctoritas examinanda: quorum si genera tantum spectamus sine controversia primum locum obtinent nummi, alterum tabulae aheneae, tertium lapides, quartum libri manu scripti. Nummi enim et tabulae et lapides tamquam ipsius antiquitatis manum offerunt; libri scripti errandi novandique per saeculorum decursum largissimam materiem praebuerunt. Quanto vero nummulariorum ars cultu atque elegantia praestat lapidariis, tanto plura res ipsa docet errata fabrilia in marmoribus reperiri, quam in nummis tabulisque aheneis; quorum ipsorum quum par fere sit auctoritas, tamen nummis tribuerim aliquanto graviorem. His igitur subsidiis ut quam certissime inniterer, usus sum optimis, quorum quidem mihi potestas fuit, auctoribus: quos suo quemque loco nominavi.

Sed iam ad rem ipsam accedendum est. Itaque quum antea de origine confusionis istius, quae in brevibus syllabis *ci* et *ti* reperitur, dixero, agam de scriptura singulorum quorundam vocabulorum in eorumque orthographia constituenda peccata a me ipso olim commissa non minus ingenue profitebor, quam aliorum errores cum libertate coarguam.

I. Breves syllabas **ci** et **ti** iam antiquissimis temporibus et literis et
sono saepe inter se commutatas esse.

1. Literas **c** et **t** a Romanis suo utramque sono et semper eodem appellatas esse quum ab aliis multis, tum a Conrado Leopoldo Schneidero, Gr. L. I. 1. p. 243 sqq. p. 356., copiosissime demonstratum est. Nostra vero aetate ac iam inde a multis saeculis breves syllabae **ci** et **ti**, quum huic subiecta vocalis est, a sua et legitima appellatione detortae omnino eundem sonum accipiunt et ut **zi** enuntiantur. Cuius earum soni quum a veteribus grammaticis Latinis, quos tamen constat in enodandis literis atque syllabis accuratissime versatos esse, nulla unquam mentio iniiciatur: primum certum testem habemus ex ineunte saeculo septimo episcopum Hispalensem Isidorum, qui *Orig. I. 26. 28.* haec habet: „**y** et **z** literis sola Graeca nomina scribuntur. Nam quum iustitia sonum **z** literae exprimat, tamen, quia Latinum est, per **t** scriendum est, sicut *malitia, militia, nequitia* et cetera similia.“ Itaque hic istam dicendi consuetudinem ut rectam atque legitimam commemorat, neque aliter fieri ab aliis vel factum esse unquam, videtur existimare. Verum non intelligitur, utrum ista tantum vocabula, quae in **tia** desinunt, an haec quoque, quae a nobis eodem modo effertur, *patiens, otii, ratio, pretium* et quae sunt similia, eadem ratione enuntianda esse voluerit; ad syllabam **ci** vero eiusque appellationem Isidori ille locus referri nullo modo potest.

2. Alterum eiusdem vitii testem citare licebit Q. Papirium quandam, quem Muretus apud Lipsium *de recta pronuntiatione* cap. 14. auctorem et tutorem huic culpae vocari posse dicit. Cuius haec erant verba: „*Iustitia* quum scribitur, tertia syllaba sic sonat, quasi constet ex tribus literis **t**, **z** et **i**, quum habeat duas, **t** et **i**. Sed notandum, quia in his sonus iste literae **z** inveniri tantum potest, quae constant **t** et **i**, et eas sequitur vocalis quelibet, ut *Tatius, otia, iustitia* et talia. Excipiuntur quaedam nomina propria, quae peregrina sunt. Sed ab his syllabis excluditur sonus **z** literae, quas sequitur litera **i**, ut *otii, iustitii*; item non sonat **z**, quum syllabam **ti** antecedit litera **s**, ut *iustius, castius*.“ Hunc Papirium sibi certum esse, Muretus ait, non esse a prisco aevo; unicum hoc hominis fragmentum extare, nec aliud. Quem quamvis invidiose carpat vir praestantissimus, tamen ab ipso putaverim ante Isidori actatem esse positum, quum *auctorem* dixerit huius culpae, quam non minus aperte Isidorum suscepisse vidimus. Ne hoc quidem negligendum est, multo plenius a Papirio rem esse tractatam, idque apud eum singulare esse ac satis memorabile, quod sequente altera litera **i** syllabae **ti** suum ac legitimum sonum vindicat; quod recte factum esse postea demonstrabimus.

3. Ex his igitur, quae diximus, hoc saltem videtur apparere, iam primis saeculis Christianis brevem syllabam **ti**, quum subiecta vocalis esset, vel a plurimis vel ab omnibus ut **zi** esse enuntiatam. Addamus tertium auctorem, ut obscurae rei quantum fieri possit lucis afferamus. Consentius grammaticus, quem medio fere saeculo quinto in australi Gallia vixisse probabile est (cf. Baehr. hist. lit. Lat. II. p. 609) in *Arte sive de barbarismis et metaplasmis* p. 21. ita scribit: „Sed et aliis literis sunt genitalia quaedam quarundam vitia nationum. Ecce ut in tali verbo **t** tam pingue nescio quid sonant Graeci, ut quum dicunt *etiam* nihil de media syllaba infringant. Contra ubi non debent infringere de sono eius literae, infringunt; ut quum dicunt

optimus, medianam syllabam ita sonant, quasi post **t̄ c̄** Graecum admisceant.⁴ Apparet ex hoc loco, Graecos eo tempore dixisse *op̄simus*; quod enuntiandi genus Consentius verbis illis *infringere aliquid de syllaba vel de sono* significat. Hunc igitur sonum Graecos efferre dicit in vocabulo *optimus*, ubi hoc falsum sit, negligere autem in vocabulo *etiam*, ubi recte efferatur. Iure igitur Buttmannus in annotatione ad hunc locum Consentio dixit placuisse enuntiationem *etsiam* sive *eziam*; quem qui refellere studuit, Lindemannus ad *Prisc. opera min.* p. 327., hanc esse sententiam Consentii putans, Graecos vocem *etiam* tribus syllabis eloqui solere, quum apud Latinos duabus tantum syllabis sonet, in tota re a vero aberravit. Neque enim uno in loco eademque in causa tam diversae notiones uni verbo infringendi possunt attribui, neque Latini veteres vocabulum *etiam* duabus syllabis dicere, sed tribus erant soliti; denique ne hoc quidem recte dixit Lindemannus, sibilandae brevis syllabae **ti**, quum quidem vocalis subiecta est, morem a Graecis profectum et Consentii aetate Latinis nondum frequentatum et postmodo tantum traductum atque receptum esse: quum et ipse Consentius exemplo vocabuli *etiam* contrarium docuerit et per omnia tempora usque ad nostram aetatem retentus mos in ipsis vocabulis Graecis syllabam **ti** semper suo et proprio sono efferre iubeat.

4. Verum nullum omnino testimonium apud veteres scriptores reperitur, quo possit demonstrari, etiam syllabam **ci** eodem modo atque **ti** esse enuntiatam. Summus potius omnium est consensus, literam **c** semper et ubique idem sonare atque **k**. In hac inopia testium licebit afferre locum Plinii n. h. XV. 36. „Quin et ara vetus fuit Veneri *Myrtiae*, quam nunc *Murciam* vocant.“ De qua re plane eadem habet, ita ut e Latino conversa putare possis, Plutarchus quaest. Rom. cap. 20. τὴν οὖν μυρσίνην ὡς ἐξάντιτην ἀφοσιοῦνται· καὶ γὰρ ἦν τὸν Μονοζίαν τητην καλοῦσι, Μυρτίαν τοπαλαιὸν, ὡς ἔστεν, ὠρόμαχον. Quam suo tempore Venerem *Murciam* appellant, antea dicunt *Myrtiam* esse appellatam; quod quum ab utroque scriptore ad declarandam originem appellationis *Murciae* referatur, tamen idem indicio est, medium eius vocabuli syllabam, quum olim **ti** enuntiata esset, postea in sonum syllabae **ci** transisse. Idem efficitur atque adeo amplificatur loco Varronis de l. L. V. 154. ed. Müll. „Intimus circus ad *Murcim* (Salmasius *Murciam*, recte) vocatur, ut Procilius aiebat, ab *urceis*, quod is locus esset inter figulos; alii dicunt a *murteto* declinatum, quod ibi id fuerit; quoius vestigium manet, quod ibi sacellum etiam nunc *Murteae Veneris*.“ Quos locos si diligentius inter se comparaveris, haec facile pro certis constitues: primum Varronis aetate *Murteam* vel *Murtiam* dictam esse Venerem, non *Murciam*, ut habet Lübkerus in lexico Klotziano; deinde Plinii tempore Venerem *Murciam* esse vocitamat, atque hoc verum eius nomen esse non apud Plutarchum solum, sed etiam apud posteros scriptores, Tertull. de spectaculis 8. Appul. metam. VI. p. 123. Bipont. August. de civ. d. IV. 16.: quod maximam partem ex his ipsis locis intelliget, qui satis diligenter inspexerit. Apud Livium vero l. 33. utrum ad *Murciae* an ad *Murtiae* scribendum sit, vix poterit argumentis confirmari. Itaque inter Varronis et Plinii tempus vetus istud Veneris cognomen *Murtiae* transit in *Murciam*; in quibus vocibus quamquam syllabae **ti** et **ci** eo quidem tempore tam in scribendo quam in enuntiando discretae fuerint, tamen utramque a legitimo sono paulum infractam atque inflexam esse dixerim, ita ut altera in alteram transire cum eaque commutari posset: quod iam Varronis aetate factum esse a quibusdam, inde colligere poteris, quod erant, qui idem nomen ab *urceis* atque a *murteto* derivandum putarent.

5. Vix quidquam aliud ad illustrandam hanc cognitionem syllabarum **ti** et **ci** ex testimoniosis quidem veterum scriptorum afferri potest. Verumtamen non solum in antiquissimis libris manu scriptis, sed etiam, id quod multo gravius est, in lapidum inscriptionibus tam frequenter syllabae **ti** et **ci** inter se commutantur, ut iam primis temporibus apud multis eandem utriusque syllabae enuntiationem, vel eam, quae apud nos nunc obtinet, vel ei proximam fuisse necessario statuendum sit. Librorum manu scriptorum quum vix ullus Isidoro aetate multum antecedat itaque *ii*, qui eos scripserunt, a vitiosa enuntiatione sui temporis non liberi fuisse putandi sint: tota fere res ad auctoritatem inscriptionum revocanda est, ex quibus quae exemplo esse possint, haec affero.

Recte et nunc scribi et semper a bonis auctoribus scriptum esse constat *patricius*, *tribunicius*, *Porcius*, *Sulpicius*; itaque haec vocabula et in nummis constanter et in libris atque lapidibus multo frequentissime scripta inveniuntur. Nihilominus etiam altera scribendi ratio reperitur: *PATRITIUS* legitur apud Orell. Inscr. Lat. 723.; quae inscriptio est ex Claudi aetate; (nam quod Freundius in lexico offert *PATRITIUS* ex monumento Aneyrano: id dubium est, quum Gruterus p. 230, tab. II. vers. 1., ex Busbequii apographo exhibeat *PATRICIORUM*; cf. mon. Aneyr. ed. Franz. et Zumpt. p. 100.). Item ex primo saeculo post Christum legitur apud Orellium 701. *TRIBUNITIAE POTESTATIS*, 3146. *INTER TRIBUNITIOS*; eodemque modo hoc nomen scriptum est Or. Inscr. 358. 957. 1072. *PORTIA* legitur Or. 3673. „EX LEGE PORTIA“, in plebiscito de Thermensibus facto septuagesimo fere anno ante Christum. Denique *SULPITIUS* legitur Or. 623. 2003. 4034. 4813. Alteram et veram scripturam ex lapidibus afferre supersedeo; nummos si quis adire velit, inveniet apud Eckhelium in *doctrina nummorum* et apud Morellium in *thesauro numismatum* sub gentibus *Aelia*, *Asinia*, *Calpurnia*, *Cassia*, *Gallia* aliisque multis, et sub ipsa gente *Porcia* et *Sulpicia*. Ex altera vero parte non minus certum est, et scribendum esse et semper scriptum *amicitia*, *patiens*, *statio*, *mundities*. Nihilominus legitur *AMICICIAE CAUSA*, Or. 3702., *IMPACIENTIS*, 4592., *STACIONIS*, 4107. (quae inscriptio ab Orellio sine ulla causa repetita est 4420.), *MUNDICIEI*, 5., quae postrema inscriptio est ex anno centesimo tricesimo sexto post Christum; quibus adiungi possunt simili vitio scripta vocabula *PUDICICIA*, apud Apianum Inscr. Sacros. p. 178, 231, 428. *Valeria TERCIA*, ibi p. 368. *INUNDACIONE*, ib. p. 131. *TICIO* et *INDULGENCIA*, p. 106. *INSACIABILI*, p. 140.; *DISPOSICIONEM*, apud Mommsenium Inscript. Regn. Neap. 109. aliaque multa. Eademque ratione saepius in marmoribus legitur *fecialis*, quum meliores et lapides et libri semper habeant *fecialis*, quod etiam Graeca scriptura *φυτιάλεις* confirmatur; cf. quae Orellius dedit ad Inscr. 2275.

Ex his exemplis, quibus facile est addere alia non pauca, satis appareat, syllabus istas, de quibus agitur, in lapidibus tabulisque haud raro inter se commutari; nummi, ut ubique, sic in hac quoque re multo constantiores atque adeo rectiores sunt; in quibus frustra, nisi ego fallor, ullum huius generis exemplum quaevisseris. Quid quod in eodem lapide, Or. 3031., si recte exscriptus est, quater legitur *LARTIUS*, *LARTIA*, deinde bis *LARCIUS*, *LARCIA*? quod nomen per literam **t** scriptum reperitur etiam 4013. 4963., per literam **c** 2377. 3031. 3145. 3186. 4388. 4401. Unde quid potest esse apertius, quam hasce syllabus **ci** et **ti** iam antiquissimis temporibus a multis similiter atque adeo post primum alterumve saeculum Christianum a plurimis omnino pariter esse enuntiatas? Sed parvam rem hoc loco commemorare non omittam. Non enim unquam in ulla inscriptione syllabus **ci** et **ti** inter se confusas a me reperiri memini, ubi altera litera **i**

sequatur. Etenim quum duae istae **i** in enuntiando saepissime in unum coirent, sonum legitimum literarum **c** et **t** firmius retineri par erat; veluti quum *Horatii* et *Horati* dicerent, *Mucii* et *Muci*, factum est, ut quum posterior **i** evanesceret, tamen reliqua appellatio maneret eadem. Itaque recte fecisse dixerim Papirium, quem supra laudavi, quod ab his syllabis, quas sequitur litera **i**, sonum **z** literae excludi docuit, ut *otii*, *iustitii*.

II. Rectius scribi conditio, quam condicio.

1. Jam Aldus Manutius *de orthographia Latina* p. 34. ex libris antiquis atque imprimis ex Virgilii codice Carpensi, quem nunc Mediceum vocant, *condicio*, non *conditio* scribendum esse statuit. Contra Claudius Dausquius in *orthogr.* vol. II. lib. 3. p. 86. unice verum esse defendit *conditio*. Cellarius in *orth.* p. 86. s. h. v. utrumque videtur probare, quum *conditio* originem sequatur, *condicio* autem plurimorum lapidum et veterum librorum sit; addit autem in Sponii *Recherch.* p. 316. ex Romana inscriptione referri SUB HAC CONDITIONE. Hac, nisi fallor, ductus auctoritate clarissimus vir C. L. Schneiderus Gr. L. I. 1. p. 250. monumentis antiquis confirmari dixit *condicionem*, quum altera scribendi ratio in una inscriptione, non saepius, inveniretur. Neque tamen huius viri argumentatio id efficere potuit, ut recepta et pervulgata scriptura *conditio* relinquatur; et, ut alios taceam, tam Orellius, quam Klotzius etiam post Schneiderum hanc scribendi rationem retinebant. Tum vero repente aliis isque gravissimus exstitit contrariae rationis patronus, Philippus Wagnerus; qui, quum ad Aen. I. 236. scripsisset „DICIONE, Medic. constanter, idque recentiores, qui quidem accuratius scribunt, philologi sequuntur; item CONDICIO XII. 880., ut in plerisque lapidibus et libris antiquis; vid. Cellar. Orthograph. Lat.“ quamquam argumentis minime contemnendis, quae contra eum posuit Harlessius in *Ephem. Antiqu.* Darmstadiensibus, 1840. No. 65. p. 529, aliquantulum commotus, tamen in *Orthographia Vergiliana* p. 422. persistens in sententia sua ita scribit: „CONDICIO, non CONDITIO, vid. V. L. ad Aen. I. 236.; sic etiam nummi ac lapides.“ Hunc igitur et huius potissimum argumenta videntur sequi, quicunque nunc scribunt *condicio*, neque alia argumenta ab alio allata sunt usquam; nisi forte originis a verbo *condicendi* demonstrandae incertissimas rationes, de quibus postea dicemus, huc referendas putabis. Wagneri igitur argumenta singula nobis examinanda sunt.

2. Itaque in nummis legitur *condicio*, non *conditio*. Grave argumentum, cui quis non libenter cedat? Verum scire gestio unum nummum, in quo vel Wagnerus vel alius quisquam hoc vocabulum legerit unquam. Adhuc, credo, talis nummus allatus est a nullo, neque facile afferetur; non enim exstat: quod ut liberius dicam et eo adducor, quod neque in Morellii thesauro numismatum eiusmodi nummus comparet neque ab Eckhelio in doctrina nummorum veterum usquam commemoratur; et quod ipsa vocabuli notio ea est, quae haud ita facile in nummis locum habere possit. Itaque hoc argumentum invito et imprudenti potius doctissimo viro excidisse, quam cogitate perscriptum esse putaverim. Ad cetera veniendum est.

3. In *Iani Gruteri Corpore Inscriptionum* (Amstelaedami 1707) quattuor exstant inscriptiones, in quibus *condicio* per literam **c** scriptum legitur: 1. SUB EA CONDICIONE in fine fere secundae columnae, quam vocant, pag. 126.; 2. CONDICIONE SUPRA DICTA, pag. 237, 5.; 3. PEREGRINAE CONDICIONIS, 574, 5.; 4. HAC TAMEN CONDICIONE, 871, 2. Ex his eam,

quam altero loco posui, etiam Orellius habet 707., eodem modo hic quoque scribens CONDICIONE SUPRA DICTA. Sed hoc falsum videtur esse; uterque enim, tam Gruterus, quam Orellius, hanc inscriptionem sumpsit ex Apiani *Inscriptionibus* (Ingolstadii 1534), apud quem pag. 139, 2. non CONDICIONE scriptum est, verum CONDITIONE; quod quidem, imprimis quum in eadem inscriptione paulo ante praecedat *sub hac conditione*, per literam t scriptum, et soni similitudo sequentis vocabuli *dicta* scribenti forsitan iam obversata sit, multo verius corrigendum videtur CONDITIONE, quam CONDICIONE. Itaque etiam factum est, ut Gruterus, aliquanto inferius eandem inscriptionem repetens, 748, 11. scripserit CONDITIONE SUPRA DICTA. Omnino autem falsa, quamquam inter veras a Grutero reposita, ista est, quam quarto loco perscripsimus „HAC TAMEN CONDICIONE:” quam totam inscriptionem fictam antiquitus ab homine iuris pontificii et antiquitatis imperito, Scaligeri auctoritate in ipsa eius fronte notatum est; cf. Corrigenda et Add. p. 313. Quamobrem duabus tantum locis apud Gruterum exstare CONDICO dicemus. Ex Orellii collectione eadem scripturam tuentes accedunt quattuor inscriptiones: 1. TALIS CONDICO, SUB EADEM CONDICIONE, MUTASSETVE CONDICIONEM, EADEM CONDICIONE, quater eadem ratione scriptum, 775.; 2. SUB HAC CONDICIONE et EA CONDICIONE, 2417.; 3. MEMOR CONDICIONIS OMANE (i. e. Romanae), 4360; 4. TU IPSA MIHI DI . . . DACIONEM QUAERERES, 4859, pag. 350., quod interpretantur *condicionem*; quod quamvis recte fieri videatur, tamen nequaquam certum est; et dubitandi causam primum eam attulerim, quod in mutilo vocabulo etiam singulae quae manserunt literae minus clarae ac certae solent esse; tum quod in eiusdem orationis alia parte, ex schedis Barberinis deprompta, scriptum legitur SUB CONDITIO . . .: unde etiam Orellio dubitationis aliiquid obortum esse suspicari licet ex iis, quae ipse de ea re monuit p. 352. Itaque apud Orellium tres inscriptiones certas testes habemus scripturae *condicionis*. Postremo apud Mommsenium in *Inscriptionibus Regni Neapolitani* (in *Inscriptionibus Confoederationis Helveticae* nusquam legitur hoc vocabulum) quater exstat *condicio*, ubique ab ipso per literam c scriptum: ex quibus id quod legitur 1504. EA CONDICIONE apud Orellium 4132. scriptum est CONDITIONE; item 6909. EA CONDICIONE apud Gruterum 638, 4. est CONDITIONE; tertium 735. EA CONDIC. UT ab ipso ita conformatum est ex lapidis ductibus his CONDIHVT: unde Corsignani, quem Mommsenius laudat, ediderat CONDI. HUT; quod non dubito quin rectius CONDITI. UT legatur, quam CONDIC. UT. Restat igitur quartum et solum ex Mommsenii inscriptionibus, quo certo niti posse videamur, 5360. SI CONDICIONI PARITUM NON FUERIT.

Aetatem harum inscriptionum si spectas, antiquissima est Gruteri 574, 5. PEREGRINAE CONDICIONIS, sub Domitiano posita anno 92. post Christum. Ex tempore Antonini Pii tres sunt, Gruteriana 126. SUB EA CONDICIONE, Orelliana 775., ubi quater scriptum est CONDICO, ex anno 140. p. Chr., et 2417. SUB HAC et ET EA CONDICIONE, ex anno 153. p. Chr. Exeuntis saeculi quarti est Orelliana 4360. MEMOR CONDICIONIS OMANE, quae tota vitiosissime exarata est. Postremo incertae aetatis est Mommseniana 5360., quam tamen non nimis antiquam et, ut aliquem saltem terminum constituam, non ante imperatorem Domitianum ponendam esse verisimile est. Iam vero nequaquam mihi propositum est harum inscriptionum auctoritatem conjecturis et opinionibus ullo modo infringere; attamen non negligendum putavi, quod in Orelliana 775., quae omnium est gravissima, singulare mihi visum est. In cuius parte postrema legitur: „Hoc decre- tum placuit in tabula aerea scribi et proponi in publico.“ Verumtamen monumentum istud, unde

desumpta est inscriptio, teste *Eckhelio Doctr. numm. VI.* p. 399. non est aerea tabula, sed *marmor*: quod numquid valeat ad hanc rem aliorum coniecturae relinquo.

4. Alterius autem scripturae vocabuli *conditio*, per literam **t**, qui unum putaverunt exemplum in inscriptionibus antiquis reperiri, magnopere erraverunt. Apud Gruterum huius generis monumenta sunt quinque: 1. pag. 237, 5. et 748, 11. SUB HAC CONDITIONE et CONDITIONE SUPRA DICTA; de qua inscriptione paulo ante dictum est; 2. pag. 378, 1. EA CONDITIONE; 3. pag. 638, 4. EA CONDITIONE; 4. pag. 1031, 5. EA IPSA CONDITIONE; 5. inter inscriptiones suspectas vel spurias pag. 9, 1. HISCE CONDITIONIBUS. Ex his prima et quarta leguntur etiam apud Orellium num. 707. et 4084. Accedunt ex Orellii collectione tres: 1. num. 3115. EA CONDITIONE; 2. num. 4132. EA CONDITIONE; 3. num. 4859. SUB CONDITIO... ex schedis Barberinis, quam supra commemoravimus.

Ex his inscriptionibus postrema est antiquissima; est enim aetatis Augsteae. Sequuntur duae, Gruteriana 748, 11. (237, 5. Orell. num. 707.) et Orelliana num. 3115., quae sunt ex tempore imperatoris Claudii; denique Gruteriana 378, 1, ex anno 180. post Christum. Reliquarum tempus, quamquam satis bonae aetatis videntur esse, definire non audeo. Non negligendum est autem, Orellianam num. 3115. *aeri* incisam esse; quae tabula ahenea, clavis parieti affixa, in ruinis Herculani oppidi effossa est: qua re haud parva auctoritas huic inscriptioni accrescit.

5. Quibus expositis si quaerimus, ultra scribendi ratio monumentorum antiquorum testimentiis magis confirmata sit: mihi quidem certissimum est, praferendam esse scripturam *conditio*, ultiote quae antiquissimarum atque optimarum inscriptionum auctoritate nitatur. Ab exeunte demum saeculo primo post Christum scribi coeptum videtur *condicio*, ita tamen, ut antiqua scriptura usitator manserit; quo tempore etiam confusionem in appellandis eiusmodi syllabis increbuisse appareret ex iis, quae p. 5. exposita sunt.

6. Iam vero etiam de libris manu scriptis pauca dicenda sunt, quorum optimos ubique dicunt praebere *condicio*. Quod ut verum sit — neque enim in hac re meo ipsius iudicio nisi conabor — tamen de toto hoc genere quid statuendum censem non tacebo. Ad dijudicandam hanc quaestionem, utrum in aliquo vocabulo **ci** an **ti** scribendum sit, libri manu scripti, ubi alia ratio aliud suadet, ad unum omnes nullius fere sunt momenti; adeo etiam in optimis vulgaris est ac tamquam dominatur harum syllabarum confusio. Argumento sunt, quae ex antiquissimo Horatii codice Basileensi aliisque assert *Kirchnerus Nov. quaest. Hor.* p. 6. „**C** pro **t** frequens (*vicium, Laciun, gracia, quociens, amicicia*)“; cf. ib. p. 13. 23. 29. 34. 35. cet.; addo codicem Mediceum Taciti ex quo *Nipperdeiuss* p. 325. sqq. ingentem numerum vitiorum huius generis congressit: „*servicio spetie* (sic saepissime), *pernititem sedicio*, *pervicatia saciatos*, cet. Itaque quum ceteri minus recte fecerunt, quod in hac re ad codicum auctoritatem fere solam provocaverunt: tum nihil est omnino, quod Wagnerus uno isto loco *Aeneidis XII.* 880. — *cur mortis ademta est Conditio*, ubi Mediceus habet *condicio* — hanc vocabuli formam confirmari iudicavit. Quam facile est, alios codices contrariae rationis testes opponere? Sic Taciti codex item Mediceus, qui neque aetate neque bonitate Virgiliano quidquam cedere putatur (de quo vide quae disputata sunt a *Francisco Rittero* ad *Tacit. Ann. vol. I. prooem. p. 48.*) non uno aliquo loco, sed lib. I. 6. I. 16. II. 81., et sic semper habet *conditio*, per literam **t** scriptum. Unde satis elucet, quam incerta in hoc genere

codicum auctoritas sit: ex qua qui huic scriptori *condicionem*, alii *conditionem* restituere conantur, vide ne maiorem aliquanto, quam aequum est, divinationem sibi arrogant.

7. Restat, ut de origine vocabuli aliquid saltem moneamus. Quamquam enim ceteris argumentis haud paulo magis confirmatur forma *conditio*, tamen ne altera quidem forma sine suis testibus est, ita ut utramque antiquis usurpatam esse certissimum sit; sed tamen, si una aliqua et certa originis ratio alteram utram commendaret, ipse eam non unice rectam quidem, at praferendam putarem. Dubitatur autem, utrum sit a *condicendo* an a *condendo*, et utriusque rationis doctissimi viri auctores sunt: quorum disputationes, quum maximam partem in praeiudicatis opinionibus versentur, ego neque amplificare neque refellere conabor. Hoc unum moneo, etiamsi scribas *condicio* et a *condicendo* hoc derives, tamen linguam Latinam nullo modo carere posse altero illo vocabulo *conditionis*, quod a *condendo* ductum est. Etenim, ut Tertulliani et Prudentii locos omittam, in quibus *conditio* est *creatio*, *opus*: „frugum cultus et *conditiones*“ apud Ciceronem divin. I. 51. neque a *condicendo* neque a *condiendo* dictae esse possunt; fruges *leguntur* et *conduntur*, ut dicimus *hac lege* et *hac conditione*. Et si Platonis illud in Timaeo p. 33. d. ἡγήσατο γὰρ ὁ συνθετις οὐ τ. λ. a Cicerone Tim. 6. conversum est „qui illa iunxit et condidit;“ vel si idem ὁ συνθετις a Seneca Phoen. 655. „mundi conditor deus“ appellatur: quid tandem recusabimus in *conditione* eandem notionem atque in *synthesis* agnoscerre? Utrumque primum significat *compositionem*, *pactionem*; unde Cicero coniunxit *conditiones* *pactionesque bellicas*, off. III. 29. Alterius rationis neque ab alio quoquam idonea argumenta allata esse video, neque, quamvis cupiam, ipse reperire possum. Quid quod antiquissimus huius opinionis auctor nihilominus per *t* scribendum vocabulum docuit? Isidorus enim, quem a nullo in hunc usum allatum esse mirere, Orig. V. 24. 29. „*Conditiones* sunt proprie testium, et dictae *conditiones* a *condicendo*, quasi *condiciones*, quia non ibi testis unus iurat, sed duo vel plures. Non enim in unius ore, sed in duorum aut trium testium stat omne verbum. Item *conditiones*, quod inter se conveniat sermo testium, quasi *condiciones*:“ si locus ita recte a Lindemann p. 158. editus est, usitatam scripturam esse *conditio* demonstrat. Quamquam haec antiquis monumentis magis firmata est, quam ut vel antiquiorum grammaticorum vel nostrorum inventis eius auctoritas elevari possit.

III. Rectius scribi *dicionis*, quam *ditionis*.

1. *Dicionis* et *conditionis* in simillimo sono significatio est diversissima. Nihilominus velut est opinio, vocabulum *conditionis* eiusdem originis esse atque *dicionis*, ita ut aut per literam *t* utrumque aut per *C* scribendum esse plerique censeant. In qua opinione quum ipse fuerim, antequam accuratius in rem inquirere coepi, absoluta quaestione a sententia desistere coactus sum. Primum enim, ut ubique, sic in hac re investigandum est, utra *scriptura antiquitus tradita sit*. In nummis vocabulum non reperitur; ne in reliquis quidem inscriptionibus commonistratum a quoquam invenio, atque adeo dubitatum est, num a sollemniore epigraphicae sermone alienum esset; cf. Harless. Ephem. Antiqu. Darmst. 1840. p. 530. In Orellii et Mommsenii inscriptionibus nusquam sane hoc vocabulum exstat; exstat autem aliquoties apud Gruterum, sed uno loco, quo ad disputationem nostram recte uti posse videamur. Est hic pag. 506. vers. 1. QUOIVE IN ARBITRATU, DICIONE, POTESTATE, AMICITIA . . . Fragmentum est legis Serviliae, datae anno 91.

ante Christum, quod Carolus Siganus de *Iudiciis* lib. II. cap. 27. (pag. 525. ed. Bonon. 1574) Patavii a se in Museo Petri Bembi repertum esse dicit, *in aheneis* tabulis vetustissimis incisum. In hac igitur tabula certam ipsius antiquitatis manum habemus, quam erroris coarguere non ante cuiquam licebit, quam pari auctoritate alteram scripturam confirmaverit. Quod quum ipse in instituendis his quaestionibus non sine aliqua cupiditate perficere studerem, ita tamen, ut veritati concedere semper paratissimum me esse vellem: omnia, quae huc referri possent, accuratissime observavi et hoc loco composui. Legitur igitur apud Gruterum pag. 43, 4. „L. STEPANUS MULVIUS DITIONIS L. SENECIO“: in qua inscriptione, ut tota pessime scripta est, sic hoc vocabulum omni sensu caret neque quidquam lucis quaestioni nostrae afferre potest; quod magis crebet, quicunque legerit. Deinde DITIONE iterum legitur pag. 1175, 8., cuius postremos versus hoc transscribere iuvat:

„Quaecunque in terris fuerit sententia Petri,
Hacc erit in caelis scripta notante deo;
Dixit enim: „Tu es magno mihi nomine Petrus,
Et tibi caelorum fortia claustra dedi.
Hac *ditione* potens terra caeloque Petrus stat,
Arbiter in terris, ianitor in superis.“

Huius epigrammatis scriptorem apparent originem vocabuli a *dando* repetivisse; verumtamen, quamquam a Grutero quo saeculo scriptum sit disci non potest, tamen ipsa res docet eo demum tempore esse compositum, quum iam dudum promiscue haberi syllabae **ti** et **ci** coepiae essent. Ab his igitur si discesseris, *ditio* nusquam nisi inter spurias et suppositas Gruteri inscriptiones reperitur pag. 2, 2. IN DITIONEM CESSERE ROM.; p. 3, 10. SUAE DITIONIS; p. 8, 1. ROMANAЕ DITIONI. Vides, quum omnia ista conficta sint et inania, nihil ex his dignitate et auctoritate posse componi cum fragmento illo Patavino, quo *dictione* per literam **c** scribendum esse confirmatur.

2. Accedit auctoritas optimorum librorum manu scriptorum, ut magno consensu praestantisimi harum rerum iudices testantur. Ac Virgilii quidem antiquissimi codices Mediceus et Vaticanus, ubicunque hoc vocabulum legitur, constanter habent DITIONE, Aen. I. 236. 622. VII. 737. X. 53.; cf. Wagner. Orthogr. Virg. 432. Zumpt. ad Curt. IV. 2. 13.; idemque de omnibus fere melioris notae codicibus refertur; qua re, quum sola per se non ita gravis sit, amplificatur tamen auctoritas veteris inscriptionis.

3. Iam vero quum *dicionem* legitimam et antiquam vocabuli formam esse hoc testimonio confirmatum sit, recte quaeri potest, unde sit derivandum. Neque cuiquam dubium esse potest, quin a *dicendo* dictum sit *dicio*: quam opinionem iam attulit Servius ad Virg. Aen. I. 236., qui verba illa „*dictione tenerent*“ explicat „potestate; omnis enim potestas *dictis* constat, id est imperio;“ cuius testimonium, quamquam ea aetate syllabae **ci** et **ti** iam satis frequenter confundebantur, in consensu librorum uniusque, quam habemus, inscriptionis sine dubio magni faciendum est. Accedit, quod quidquid exemplorum exstat, in his omnibus vocabuli notio est *arbitrium, ius, potestas*, denique *imperantis* sive *dicentis* aliqua virtus vel actio, nunquam subditi vel subiecti: quum tamen, si a *dando* derivatum esset vocabulum et ad *deditionis* significationem accederet, eius deberet actio esse, qui daret aliquid vel se ipsum alterius imperio subiiceret. Sed haec

nolio apud nullum scriptorem usquam reperitur; nisi forte epigramma istud oppones, quod supra perscrpsimus, in quo *hac ditione* idem est quod *hac datione*: cuius generis aliud exemplum exstat nullum.

IV. Scribendum esse contio, non concio.

1. Nunquam persuadere mihi potui, hoc vocabulum *contionis* non ortum esse a *conciendo*. Quod quum multi negarent, Reinholdus autem Klotzius in lexico Latino nomen contractum esse ex *conventione* diceret: locis omnibus, qui a doctissimo viro in hunc usum allati sunt, accuratissime examinatis, persistendum in mea sententia intellexi. Neque enim quod COVENTIO scriptum est in senatus consulto de Bacchanalibus, neque Varronis locus l. L. VI. 43. „e lacte coacto caseus nominatus; sic ex hominibus *contio* dicta, sic *coemptio*, sic *compitum* nominatum,“ neque quae ex Paulli Diaconi excerptis afferuntur, ullam vim habent ad demonstrandum id de quo agitur. Contra idem ille Paulli locus p. 38, 4. (pag. 30. ed. Lindem.), quem Klotzius excitavit, *contionem* a *conciendo* appellatam esse indicat. Verba sunt haec: „*Contio* significat conventum, non tamen alium, quam eum, qui a magistratu vel a sacerdote publico per *praeconomem convocatur*;“ cuius sententiae vis non in vocabulo *conventus* est, sed in verbo *convocandi*, id est *conciendi*. Et si Varro *caseum* ex coacto lacte quasi *coaxeum* appellatum esse putat, de qua re conferendus est lib. V. 108., ex loco eo, quem supra laudavimus, non magis sequitur, ut *contionem*, quam ut *coemtionem* ex *coactione* ortam esse dixerit. Itaque ne Klotzium quidem vocabuli originem a *conveniendo* repetendam puto crediturum fuisse, nisi hac ratione vel sola vel facillima saltem scripturam per literam t, quae plurimorum optimorumque librorum manu scriptorum est, confirmari putavisset. Ad lapides enim et tabulas neque ipse provocavit neque, quantum ego scio, alias quisquam: quod tamen maxime necessarium fuit. Apud Orellium quidem et Mommse-nium nusquam reperitur vocabulum; ter autem exstat apud Gruterum in duabus antiquissimis aheneis tabulis. Prior est, quam supra laudavimus, p. 506., ubi vers. 18. legitur IN CONCTIONE RECITETUR (apud Sigionum est IN CONTIONE RECITENTUR); vers. 42. IN CONTIONE PRO ROSTRIS; altera p. 507. vers. 10. RECITENTUR IN CONTIONE, non minus antiqua. Ad haec certissima testimonia quum omnium fere optimorum codicum auctoritas accedat — Zumptius ad Curt. IV. 15. 21. „in *contione*, omnes libri nostri et optimi ex olim collatis“ cf. ad IV. 40. 16. — nullus iam dubitationi locus relinquitur et scribendum est *contio*.

2. Illud ipsum autem, quod primo loco Gruterus habet, CONCTIONE — quae scriptura, nisi memoria me fallit, etiam in libris haud ita raro reperitur — originis inveniendae tamquam viam demonstrat. A supino *concitum* factum est *concitio*, quod per syncopen in *contio*, deinde in *contio* abiit.

V. Scribendum esse setius, non secius.

1. *Secius* et *sequius* literis tantum differre, re idem esse affirmant. Ego neutrum vocabulum Latinum esse dixerim, quum pro utroque, quoscunque locos comparavi, ex ipsa codicum auctoritate vel *setius* vel *segnius* legendum esse intellexerim. Verum de altero tantum hoc loco agitur; ac videndum est primum, quid monumenta vetera doceant.

Rarissime quidem hoc vocabulum in inscriptionibus repereris. In iis collectionibus, quas saepius excitavi, Gruteri, Orellii, Mommsenii dico, nisi quid praeter opinionem oculos meos effugit, bis tantum deprehenditur, utroque loco scriptum per literam **t**. Prior locus est apud Gruterum pag. 204. med. QUO SETIUS EAM PECUNIAM ACCIPIANT; quam inscriptionem etiam Orellius habet num. 3121.; alter Grut. p. 508. med. MINUS SETIUSVE FIAT. Utraque inscriptio antiquissima est, altera anni 116. ante Christum, aheneae tabulae incisa; altera, fragmentum iudicarium continens, aetate non multo inferior, ut ipsa sermonis ratio testis est.

2. Eadem vocabuli scripturam tuerunt libri manu scripti. Wagnerus *Orthogr. Verg.* p. 472. „SETIUS, non SECIUS, ubique Mediceus, consentiente Romano cum aliis libris veterissimis.“ Exstat autem Georg. II. 277. III. 367. Aen. V. 862. VII. 781. IX. 441., qui loci satis multi sunt, ut non fortuito, sed consulto ita scriptum statuamus. *Setius* edidit etiam Lachmannus *Lucr.* VI. 315. alteramque formam condemnavit; de eadem re conferri potest Oudend. ad *Caes.* b. c. II. 7. alii.

3. Itaque nequit iam dubitari, quin ab antiquis ita scriptum sit. Sed qui tandem factum est, ut iam inde a multis saeculis plerique omnes *secius* scripserint? Scilicet in investiganda vocabuli origine, si *secius* scribebant, sine ulla opera assecuti sunt, quod voluerunt; si *setius* tenebant, desperanda res erat. *Secius* dicebant esse a *secus*; cui tamen rationi obstant haec tria, primum quod in altero vocabulo prima syllaba producenda est, in altero corripienda; tum quod talis comparativi formandi nulla prorsus exstat analogia; denique quod *secus* ipsum iam comparativam notionem habet ob eamque rem non magis comparativi formam patitur, quam v. c. *aliter*; id enim *secus* significat. Verumtamen etiamsi nihil obstaret, tamen esset falsum, quia *setius* ab antiquis traditum est, non *secius*. Cuius qui statuerunt aliam tantum scribendi formam esse *sequius* eamque a *sequendo* ductam dixerunt; primum ipsi viderint, quale portentum vocabuli efficiant; tum vero etiam meminerint, literas **qu** et **c** commutari quidem saepius inter se ante vocales **o** et **u**, nunquam vero (*hircinum* enim et *hirquinum* omitto) ante vocales **i** et **e**; quis enim, quum *quotidie* et *cotidie*, *sequutus* et *secutus* saepe scriptum sit, quis, inquam, est, qui unquam *cia* pro *quia* vel *Quiquero* pro *Cicero* scriptum viderit? Neque enim unquam **c** in **qu**, sed **qu** in **c** transiit.

4. De vera origine vocabuli *setius* iam antiqui grammatici dubitarunt. Festus p. 263. ed. Lindem. „*Setius* a *sero* videtur dictum. Accius in Amphitryone: Si forte paulo, quam tu, veniam *setius*.“ Sic enim scribendum esse libri suadent, cogit ratio. Sed ne hanc quidem veram vocabuli originem esse cuiquam probabitur, quamvis licet uno altero loco *setius* et *serius* affinem notio- nem habere videantur. In difficile re atque dubia meam, qualiscunque est, opinionem proponere licebit. *Setius* est a *sed* vel a loquelari particula *se*, hoc modo. Particula haec *se*, i. e. *sine*, et coniunctio *sed* tam idem sunt, quam nostrum *sonder*, i. e. *ohne*, et *sondern*, i. e. *aber*. Quid quod *sed* antiqui dicebant pro *se*? Festus p. 148. Lindem. „*Sed* pro *sine* inveniuntur posuisse antiqui.“ Sic scriptum reperies apud Gruterum p. 203. med. SED FRAUDE; item p. 508 v. 17. p. 509. v. 20. Hoc vero **d** qui tamquam paragogicum putant vel cum *altod marid* ex columna rostrata comparandum, res componunt prorsus alienas; hoc posterius enim in declinatis tantum reperitur. Itaque *sed* antiqua forma est pro *sine*, et haec particula *sed* et adversativa *sed* prorsus idem vocabulum est.*
*) Si cum Charisio p. 87. P. et Victorino p. 2458. sed a sedum derivaveris, quod vocabulum sine exemplo est et fictum videtur: vide ne maior ad explicandum sedum, quam sed difficultas obviatur.

literam **t** scriptum est, *set*, quam ego formam non meliorem quidem, sed antiquorem esse censeo. Ex hoc vocabulo *set* factum est *setius* eadem ratione, qua ex *sat* factum est *satius*, utrumque superlativo carens. Quae autem vocalis in *set* principio longa erat, longa mansit in *setius*; brevis facta est in fine vocabuli, ut *animāl*, postrema brevi, ex *animāle*.

Quae si artificiosius quam verius exposita putabis, condonato.

VI. Scribendum esse otium, non ocium.

1. De vocabulo *otii* ut pauca dicerem, commotus sum auctoritate Reinoldi Klotzii, qui non solum in *lexico Latino*, verum etiam in Ciceronis *editione Teubneriana*, quam discipulis meis vel maxime commendandam putavi, ubique *ocium* et *negocium* exprimendum curavit; quod ille quibus de causis fecerit, quantum ego video, nusquam dixit. Itaque sive vocabuli originem aliquam se-
cutus est sive antiquum, quem putavit, scribendi usum: utrumque nobis examinandum est, ne tanti viri errore ducti etiam alii in vitium incurrant.

2. De etymologia vocabuli *otium* iam ab antiquioribus philologis multa disputata sunt, neque tamen ulla inventa ratio est, qua recte inniti possimus. Fuerunt, qui *ωτίqαστιν* ortum vocabulum dicerent a comparativo *ocius*, eadem ratione eodemque iure, quo *lucum* a *non lucendo*; alii cum Graeco vocabulo *ὄννος*, quod ignaviam et segnitiem significat, cognatum esse eademque saltem ex radice ductum voluerunt. Itaque utriusque originis causa per literam **c** scribendum statuunt *ocium*. Ex altera parte Scaliger dictum esse voluit ab *ωτίον*, *auricula*, quia otium proprie esse videretur, quando aliis possemus operam dare aurium; G. I. Vossius ab *ολόθη*, *seorsum*, quia tum otium nobis suppeteret, quum aliorum alloquiis et interpellationibus non impediremus; Beermannus *Origg. l. L. p. 794.* ab *ούτῃ*, quia otium esset, ubi *nihil ageremus*, ubi feriaremur; Is. Vossius ab *opto*, ut esset quasi *optium*, vel ab *αὐτός*, *αὐτίζεσθαι*, quod verbum nunquam exstitit; alii denique aliter. Etiam Döderleinus *Syn. Lat. VI. p. 251.* *otiose* componit cum *αὐτως*, *αὐστος*, i. e. *τηγόσιος*, quo sensu *τηγόσιον ἔπος* dictum est pro *μάταιον*, Hom. hymn. Apoll. 540., ut *otiosus sermo* apud Quint. VIII. 2. 19.; addit Germanicum vocabulum *öde*, Gothicum *authids*, *desertum*. Eadem fere idem vir habet alio loco, V. p. 246.; quae quum attulerit tamquam prorsus certa, tamen ipse dubitanter adiicit, si antiqua et vera scriptura sit *ocium*, hoc cum verbo *vacandi* eodem modo componendum esse, quo *udus* cum *vadum*. Quae omnia quam dubia atque adeo quam nihil sint, neminem fugiet, neque quemquam eorum, qui primi repererunt, suum sibi inven-
tum satis persuasisse dixerim. Itaque num Klotzius aliam quandam vocabuli originem secutus sit nescio; hoc video, ex omnibus illis, quae propositae sunt, nullam esse ita comparatam, ut ad relinquendum scribendi genus, quo adhuc usi sumus, recte ea nisi possimus. Neque vero ipse, quum probabilia afferre nequeam, conjectuae opinionique indulgebo; illud tenebo, non constare de origine vocabuli totiusque rei iudicium in eo positum esse, ut tamquam historice usum scri-
bendi huius vocabuli perseguamur.

3. Iam in nummis neque *otium* neque ullum inde ductum nomen appetat usquam; certe neque ego inveni neque a quoquam inventum esse reperi. In tabulis autem et lapidibus *otium* et *negotium* et eiusdem stirpis vocabula frequentissima sunt et tam constanter per literam **t** scripta, ut ne excogitari quidem ulla videatur posse ratio, qua quin solum hoc scribendi genus veteribus

usitatum fuerit possit in dubium vocari. Exempla affero haec: In tabula ahenea Herculaneensi, quam supra commemoravimus, apud Orell. Inscr. 3115., sexies legitur NEGOTIATIO et NEGO-TIARI; cuius inscriptionis gravissimam esse auctoritatem diximus; tum NEGOTIUM, NEGOTIATIO, NEGOTIATOR, NEGOTIARI ex Orellii collectione exscripti 493. 736. 913. 995. 1368. 1410. 2029. 2515. 2526. 2672. 3314. 3093. 4020. 4060. 4063. 4077. 4087. 4109. 4114. 4202. 4236. 4243. 4246. sqq. 4466. 4729.; ex Mommsenii Inscr. regn. Neap. 123. 500. 741. 2423. 2516. 2530.; ex eiusdem Inscr. conf. Helv. 261., denique OTIUM, OTIOSUS reperitur Orell. 1158. 1183, ter ita scriptum, 3003., Momms. Inscr. Neap. 1137. Contra alterum scribendi genus rarissime in lapidibus exstat; equidem certe, quamquam non indiligerent legisse me puto, semel inveni apud Orellium 4111. NEGOCIANTUR, in inscriptione Mitylenensi; semel apud Mommsenium interfalsas vel suspectas 446. NEGOCIUM; *ocium* autem nusquam reperi.*). Itaque si tanto consensu ipsa nobis antiquitas haec vocabula praescripsit: quae tandem iusta esse potest mutandi ratio, quamvis licet omnes libri manu scripti mutationem suadere videantur?

4. Verum etiam libri tantum abest ut Klotzii sententiam adiuvent, ut vix ullo alio in vocabulo maiore cum constantia lapidum auctoritatem confirment. Testes affero Ellendtium, Kirchnerum, Silligium, Wagnerum, quos constat singulari cum cura atque sollertia eiusmodi res speculatos esse; quorum tamen nemo *ocium* aut *negocium* scripsit usquam, sed *otium* et *negotium*; neque vero ullam scripturae varietatem in codicibus antiquis reperiri annotaverunt. Quod ut vere dictum esse tibi persuadeas, comparare licet Ellendtium ad Cic. de or. I. 17. 78. I. 21. 95. I. 35. 164. I. 51. 219. I. 52. 224. alibi; Kirchnerum ad Hor. sat. I. 1. 31. I. 4. 138. I. 6. 128. II. 1. 80. II. 3. 19. alibi; Silligium ad Plin. nat. hist. Praef. §. 6. VI. 28. sect. 32. §. 146. 149. 157 alibi. Denique Wagnerus Orthogr. Virgil. p. 461.: „OTIUM sic per **t** constanter Medic.“

5. Postremo ne quid neglexisse arguamus, quamvis iam absoluta quaestio videatur, addamus testimonia veterum grammaticorum. Itaque Eutyches apud Cassiodorum p. 2312. P. quum literarum ordinem secutus singula vocabula explicaret, *otium* posuit inter *opus* et *oris*: unde sequitur non per **C** istum, sed per **t** hoc nomen scribendum iudicasse. Magis aperlum atque adeo certissimum testimonium est Q. Papirii, quem supra I. 2. commemoravimus; ex quo apparet, huic grammatico solam hanc scripturam *otii* per **t** cognitam fuisse atque ipsius aetate in hoc vocabulo literam **t**, sequentibus duabus literis **i**, suum ac legitimum sonum tenuisse, ita ut *oti-i* eadem ratione diceretur atque *oti*, nunquam vel *oci-i* vel *oci* (oki); cf. pag. 7. Postremo quamquam parva res est, tamen nolim everti annominationis genus, quam nunc assonantiam vocant, quae inest in versu Enniano apud Gellium XIX. 10: *Olio* qui nescit *uti*, plus negoti habet.

VII. Scribendum esse *nuntius*, non *nuncius*.

1. Nostra aetate quum plurimi scribant *nuntius*, tamen haud pauci viri docti alteram scribendi rationem sequuntur et *nuncius* per literam **C** scribendum esse putant; in quibus Freundius, Klotzius, Döderleinus, alii; qui quidem omnes, de ceteris argumentis, quibus in hac re utendum est, minus solliciti, solam originem vocabuli, quam sibi finixerunt, sequendam esse statuerunt.

*). Gruteri inscriptiones huius generis prescribere omisi; probe autem memini et pro certo affirmare possum, longe frequentissime habere eum NEGOTIUM, per **t** scriptum, aliquoties tamen etiam per **C**.

Rectius autem erat, primum inquirere, quemadmodum a Romanis ipsis hoc vocabulum scriptum esset, et investigandae originis rationem non libidine scribendi, sed reverentia usus antiqui munire. Verum etiam nos in hac quidem disputatione eorum vestigia prementes primum videamus de etymologia, tum cetera quae hic pertinent argumenta exponamus.

Antiquissima fortasse Varronis opinio est, qui de l. L. VI. 58. Müll.: „*Nuntius* enim est ab *novis* rebus nominatus, quod a verbo Graeco *νέος* potest declinatum.“ Hanc sententiam amplexi alii amplificaverunt, quum antiquiores nonnulli *nuntium* tamquam *noviscium*, quia per eum nova scirentur, Freundius autem in lexico Latino quasi *novum-cium*, *nova ciente*, appellatum esse velit. Iosephus Scaliger in Coniectaneis tradit, *νούγκιος* esse vocem Syracusanam, atque ut ab *εν*, *ἐν*, factum sit *οὐγκία*, *uncia*, ita a *νέος* fieri *νούγκιος*. Lindemannus ad Eutych. (Corp. Gr. L. I. p. 170. n. 26.) *nuntium* vult dictum esse eum, qui *ciet nomine* vel qui *nomen ciet*; Döderleinius Syn. Lat. V. p. 106. hoc vocabulum a *noscendo* ductum esse contendit. Itaque hi atque alii cum Klotzio, qui quam vocis originem statuerit non invenio, *nuncium* per literam **C** scribendum esse iudicant. Quae omnia satis apertum est ex suo cuiusque arbitrio, non ex rei necessitate esse constituta; valetque hoc loco idem, quod quum ad morbum aliquem multa medicamenta inventa sunt, ut nullum eorum sit probatum. Sed quum nulla etymologia, quae quidem alteram scribendi rationem per literam **T** probare possit, patronum nacla sit: ipse *nuntium* vel ex *novantius*, a *novando*, quamvis hoc fieri posse negent alii, vel ex *nuentius*, a *nuendo*, ut *Amantius* et *Cluentius* ab *amando* et *cluendo*, (numen, Wink, *Gebot*; *nuntius*, *Bote*) ortum putabo; non quod ita esse affirmem, sed ut nullam ceterarum rationum hac esse probabiliorem contendam. Non constat de vocabuli origine, neque quidquam omnes istae opiniones ad eius scripturam valebunt.

2. Valebit autem traditus ab antiquis Romanorum mos, quem qui deseret, is suam aliquam linguam scribendo exprimere, non Latinam, putandus est. In qua re miratus sum, quod multi viri docti, a Manutio in errorem inducti, ut videntur, de scribendi consuetudine, quae in lapidibus obtinet, falsissime iudicaverunt. Inscriptiones enim multo plurimae ac tantum non omnes *nuntium* et quae inde ducta sunt semper per literam **T** habent, quum **C** omnino rarissime inveniatur. Exempla exscripsi haec: In Cenotaphio Pisano Caii Caesaris, quod est ex Augusti tempore, legitur CUM ALLATUS ESSET NUNTIUS et paulo post DECESSUS NUNTIATUS (Orell. 643.); in veteri senatus consulto DEIXISTIS VOBEIS NONTIATA ESSE (Orell. 3114.); quos locos solos quidem ex Gruteri thesauro attulit iam Cellarius. Deinde in epistola imperatoris Domitiani est PRONUNTIAVI QUOD SUBSCRIPTUM EST (Orell. 3118.); in carmine ad laudem Mercurii composito JOVIS NUNTIUS (Orell. 1417.); porro NUNTIAT, Orell. 4944. (Mommsen. Inscr. R. N. 7143.); ENUNTIATOR AB SCAENA GRAECA, Orell. 2614. (Momms. l. l. 6886. in eadem inscriptione habet *denuntiator*.) Denique a Mazochio ex Tabula ahenea Heracleensi septies exscripsi RENUNTIARE, ubique per literam **T** scriptum, vers. 26. bis, v. 31. 40. bis, 58. 65. Contra duos tantum locos reperi, ubi eius stirpis vocabula, per literam **C** scripta traduntur, quorum alterum a Gruterio 254, 4. etiam habet Cellarius, DENUNCIATOES PUTEOLANI; quem locum quum ita scriptum ediderint Gruterus, Orellius (2544.), reliqui, Mommsenius tamen (Inscr. R. N. 104.) ex Panvinii fastis notata discrepancia scripsit DENUNCIATOES, per literam **T**; quapropter hunc locum in medio reliquendum censeo. Restat una inscriptio, Orell. 4570., ubi legitur SECUNDUM

RENUNCIATIONEM MENSORUM; quae ut recte exscripta sit, ponderis tamen ea re habet minus, quod est ex ineunte tertio demum saeculo post Christum natum.*)

3. Atque eadem fere constantia, quae est in lapidibus, etiam in plurimis libris manu scriptis invenitur. Quod ut appareat, conferri poterit Ellendtius ad Cic. or. I. 22. 103. I. 40. 183. I. 42. 187. I. 53. 230. I. 56. 238. alibi; quibus omnibus locis vel sine discrepantia *nuntius* per literam **t** scriptum est, vel saltem in paucissimis tantum libris iisque peioris notae altera scriptura invenitur. Item Silligius ad Plin. n. h. VI. 31. sect. 36. XII. 19. sect. 42. alibi, *renuntiat*, *nuntiatam* habet, nulla omnino scripturae varietate indicata. Denique qui ad dirimendam omnem controversiam unus in hoc genere maxime idoneus putatur, Virgilii codex Mediceus *nuntius*, *denuntio* non uno aliquo loco, sed omnibus per literam **t** scripta exhibet, i. e. Aen. I. 391. II. 547. III. 310. et 366. IV. 188. V. 664. VIII. 550. et 582. IX. 473. et 689. XI. 740. et 897. XII. 75. Georg. I. 453.; unde Wagnerus Orthogr. Virg. p. 460. „*nuntiare*, *nuntius*, ubique per **t** cum optimis libris Mediceus.“ Quamquam de hac re alii iudicabunt aliter; quapropter tenendum est, quod p. 9. de ista confusione monuimus. *Stadtbibliothek Lübeck*

Itaque quod omnibus testimoniis traditum est — nam in nummis ne hoc quidem vocabulum legitur — id servandum esse dicimus, dum melioribus, quam adhuc factum est, argumentis altera ratio se tueatur.

VIII. Rectius scribi **genitrix**, quam **genetrix**.

1. *Genetrix* an *genitrix* scribendum esset, multum iam inter antiquiores philologos certatum est, ex quibus imprimis Claudio Dausquius orthr. vol. II. tr. 7. p. 141. priorem rationem eo defendit, quod sic et libri veteres et nummi lapidesque praeferrent, et Probus moneret, *genitor* per **i** exarari, *genetrix* per **e**, eodemque modo et *meritum* et *meretrice* scribebatur. Huius viri argumenta quum tantum valuerint, ut iam inde a Forcellino lexica nostra omnia fere a *genitrice* ad *genetricem* nos relegent, repetita et per paulum quidem amplificata sunt a recentioribus, ex quibus laudandi potissimum et examinandi nobis sunt Wagnerus et Lachmannus.

Wagnerus igitur ad Virg. Georg. IV. 363. „En memorable exemplum consuetudinis atque usus analogiae ac rationi repugnantis! A voc. *genitor* enim quum fieri debeat *genitrix*, optimi libri — et Mediceus quidem, nam de aliis pro certo id affirmare non licet, constanter — praebent GENETRIX, GENETRICIS.“ Idemque Orthogr. Verg. p. 438. „GENETRIX non GENITRIX. VENUS GENETRIX, sic, constanter in antiquioribus nummis.“ Lachmannus Comment. in Lucret. p. 15. sq. „Sed Probus in Arte minore p. 249. ed. Mai., quasi hanc vocabuli formam (*genitrix*) ne novisset quidem, quaesivit, qua de causa *genitor* per **i** et *genetrix* per **e** literam scribebatur.“ Et paulo post: „Porro eadem differentia est in *institore* et *obstetricie*, in *meritorio* et *meretrice*, de quibus nemo dubitat.“ De lapidibus neuter eorum quidquam dicit; verum hos quoque testes in eadem re et alii appellaverunt et is, qui in Forcellini lexico (ed. germ. s. v. *genetrix*) de scriptura huius vocabuli disputavit, *Venerem genetricem* sic constanter legi dicens in nummis et lapidibus. Itaque et nummi et lapides et libri et ipsi grammatici veteres *genetricem* flagitant, atque in *obstetricis* et *meretricis* consortio satis inest analogiae ad istam scripturam confirmandam. Verum singula videamus.

*) Ne huius quidem vocabuli exempla ex Gruteri Corpore perscripsi; multo plurima autem per literam **t** scripta sunt.

2. Quis igitur antiquiores istos nummos attulit, in quibus „VENUS GENETRIX, sic constanter“ legitur? Nam si constanter legitur, multos aliquos esse necesse est. At enim iam Orellius ad Inscript. 1376. monuit, Veneris Genitricis, quod mirere, paucissima omnino superesse monumenta. Si vero in Morellii atque Eckhelii operibus acquiescere licet, nummi quidem complures et satis antiqui inveniuntur, in quibus effigies Veneris, quam *genetricem* interpretantur, comparet; sed in quibus hoc Veneris cognomen his literis perscriptum sit, neque valde antiqui reperiuntur usquam, neque vero multi. Omnino hoc vocabulum vel *geneticis* vel *genitricis* in nummis thesauri Morelliani legitur nusquam. Contra Eckhelius tria affert exempla nummorum Veneris Genitricis, quorum primus, qui est Plotinae Traiani, habet VENERI GENETRICI, vol. VI. p. 466.; alter, Hadriani, item VENERI GENETRICI, vol. VI. p. 511.; tertius denique, Iuliae Paulae, uxoris Elagabali, quem nummum etiam Wagnerus attulit, habet VENUS GENITRIX, vol. VII. p. 258. Praeter haec tria ne Eckhelius quidem Veneris vel *Geneticis* vel *Genitricis* exempla affert ulla, quamquam tam vol. VI. p. 511., quam vol. VII. p. 258., utriusque inscriptionis etiam alias nummos a se cognitos esse indicat; verum ne alius quidem quisquam eiusmodi exempla demonstrat et ipse Eckhelius antiquiores, quam quos dixi, eius generis nummos extare nullos docet. Itaque si tres nummos illos comparaveris, quaenam ista potest appellari *constantia* scribendi, quum in duobus *genetrix*, in uno *genitrix* legatur? vel quaenam antiquitatis laus recte tribuitur duobus istis nummis, quum neuter hac laude magnopere dignus esse videatur neque ita multum distet ab eo, qui, quasi multa saecula post excusus sit, demum in nummis Iuliae Paulae inveniri dicitur? Maior sane aliqua his nummis auctoritas accrescat scripturae *genetrix*, nequaquam vero ea, quam Wagnerus dixit, qua altera scribendi ratio ullo modo possit repudiari. Ac ne quid occultasse videamus, etiam in uno alio nummo non Venerem quidem, sed Iuliam Augustam (Liviam) appellari GENETRICEM ORBIS TERRARUM dicimus; qui nummus est coloniae Romulæ Baeticæ; quem propter ineptam provinciarum adulacionem extremæ insaniae testem Eckhelius appellat; cf. Vol. I. p. 28. vol. VI. p. 154. Itaque in uno nummo Hispanensi duobusque Romanis ex tempore Traiani et Hadriani habemus GENETRICEM, in uno Romano ex tempore Elagabali GENITRICEM. Ceteros, si qui sunt, utpote ignoratos, pro nullis numeramus.

3. Contra in lapidibus *genitrix* non minus frequenter reperitur, quam *genetrix*. Huius generis inscriptionum prima in Collectione Orelliana est No. 617., ubi legitur IULIAE AUGUSTAE . . . GENITRICIS ORBIS, quod marmor Antiquariae in Hispania repertum est; cf. Eckhel. d. n. vol. VI. p. 154. Altera Or. 1358., Romæ reperta, habet SACERD. VEN. GENITRIC. Tertia est, quam Orellius ad 1377. in Romanelli Topographia Telesiae in finibus Neapolitanis repertam et ita scriptam perhiberi dicit „Veneri Genetrici“, quum contra Mommsenius Inscript. Regn. Neap. 4837. et is quidem ex *αὐτοψίᾳ* in hoc lapide VENERI GENITRICI scriptum extare testetur. Quartam addo Orell. 1365. VENERI GENITRICI MATRIQUE DEUM; quintam Orell. 1377. SACERD. VENERIS GENITRIC. (Quamquam eandem Mommsenius inter suspectas 112. retulit in eaque GENETRICIS edidit); sextam et septimam, quas non minus idem Mommsenius inter suspectas vel falsas retulit, ex eius inscriptionum corpore, quod supra nominavimus, num. 528. VENERI GENITRICI ET GENIO AUGUSTI, et num. 960. VENERI GENITRICI ET GENIO LUDORUM. Alteram scripturam *genetrix* apud Orellium non reperties nisi in Kalendario Pinciano, vol. II. p. 399. (Grut. 135, 2.) VENERI GENETRICI et, quamquam e schedis Barberinisi, non ex ipso marmore

desumptum, num. 4643. GENETRIX NATORUM. Sola vero eius generis inscriptio, quam quidem Mommsenius inter veras et germanas afferat, num. 1385., ex conjectura tantum reposita et nequam certa est. Quum enim *de Vita*, qui solus vidit et descripsit, edidisset et interpretatus esset DEAE VENERI C. ENETRI C. L. SACRUM i. e. „Veneri a Caio Enetrio Caii liberto:“ Orellius ad 1376. suspicatus neque tamen edere ausus est „Deae Veneri Genetrici“, Mommsenius autem rem incertam pro certa amplexus in probanda Orellii correctione, quam dicit, nimis promptus fuit. Etenim non solum *de Vitae avtoipia* obstat, verum etiam ipsa inscriptionis ratio, quum *Venerem* quidem *genitricem* appellatam saepius, *Deam vero Venerem* addito genitricis nomine insignitam vix unquam repereris. Itaque huius inscriptionis in diiudicanda re, qua de agitur, ullum esse usum negamus; addimus duas, quas praeterea apud Mommsenium invenimus, sed in falsis vel suspectis repositas, 491. VENERI GENETRICI SAC. et 671. VEN. GENETRIC. AFRODISIAE. A Grutero denique accedunt VENERI GENETRICI, 225, 3. et 1012, 3.; HELENAE GENETRICI CONSTANTI, 284, 1.; QUEM GENUIT GENETRIX, 665, 8.; PATER ET GENETRIX, 979, 1.; alterius autem formae HAEC GENETRIX, 789, 6. (eadem quae etiam inter dubias 15, 5. affertur); GENITRICE, 823, 1.; TU GENETRIX, 1170, 4.: quae omnes vel incertae vel haud ita priscae aetatis sunt.

Haec habes ipsius antiquitatis testimonia, quibus, ni fallor, ex iis quidem libris, quibus uti mihi licuit, vix aliud poterit addi ullum. Ex quibus primum hoc constituere liceat, falsissimam esse Cellarii istam tamquam conciliatricem opinionem, qua deae praerogativa quadam *Venerem Genetricem* cognominandam, ceteras vero *genitrices* esse dicendas iudicavit: quem errorem etiam alii amplexi sunt; cf. Kirchner. ad Hor. sat. II. 3. 133. Verum ex ipsis, quae perscripsimus, exemplis luce clarius est, aut ubique licere ultrumque, aut alterum ultrum ubique esse relicendum. Tum vero non minus aperte perspicitur, quam inconsiderate fecerint ii, qui in nummis et lapidisbus constanter legi *genetrix* dixerunt. Utramque formam in his monumentis pari fere iure reperi et in omni re usurpatam esse dicemus et ad disceptandam item aliis etiam argumentis nitendum esse. Itaque iam ad libros manu scriptos veniamus.

4. Ac Wagneri quidem sententia, qua optimos libros constanter praebere *genetrix* dixit, iure reiecta et improbata iam ab aliis est. Apud Prudentium, cuius admodum bonos codices esse volunt, novissimus editor Theodorus Obbarius sine ulla scripturae varietate habet *genitrix*; cf. Prudent. Peristeph. IV. 22. Diptych. v. 107. Kirchnerus autem ad Hor. sat. II. 3. 133. manuscriptos suos „prope ad unum omnes“ *genitricem* habere docet, libros hanc formam vocabuli, quum quidem appellativum sit, tueri affirmans: de qua re supra dictum est. Ex Virgilii autem codicibus ipso Wagnero teste Mediceus quidem constanter habet *genetrix*, Palatinus vero *genetrix*. Quam scribendi inconstantiam, si omnia persequi velis, immensam reperias. At vero codicis Medicei maxima praeter ceteros auctoritas est. Sit sane; verumtamen idem etiam sua et ea quidem frequentissime repetita via habet: in quibus vitiis hoc ipsum satis notabile est, quod pro litera **i** saepissime **e** praebet. Cuius generis Wagnerus ipse, quum librarios quodam quasi odio insecessatos esse literam **i** recte monuisse, Fogginum secutus ex codice Mediceo exempla attulit plus quinquaginta; cf. Orthogr. Verg. p. 382. sq.; ex quibus exemplis paucula quaedam, quae magis huius loci esse videantur, afferre liceat. Itaque Aen. I. 490. Mediceus habet *agmena* pro *agmina*,

Aen. VII. 221. *limena* pro *limina*, Aen. XI. 663. iterum *agmena* pro *agmina*, Aen. I. 622. *decione* pro *dictione*, Aen. IV. 689. *defecit* pro *desicit*, Aen. XI. 491. *praecepit* pro *praecipit*, et quae sunt generis eiusdem. Hacc autem quasi insectatio literae **i** non solum a librariis facta, sed ne a lapidibus quidem aliena est. Cuius generis tam antiqua illa sunt in columna rostrata Duilii *exemet*, *cepet*, *enque*, *navebos*, *reliqua* (Orell. 549.), quam recentiora multa, veluti *edederunt*, Orell. 2534. *silea*, 2497. *reddedit*, 4075. et in Kalendario rustico Farnesiano, Orell. vol. II. p. 381. bis *Deana* et *dolea* pro *Diana* et *dolia*. Nequaquam vero haec hostilis quaedam huius literulae insectatio est, verum incultius et rusticius dicendi scribendique genus; id quod Varronis aperto testimonio confirmatur, qui *de re rust.* I. 2. 14. *viam* a rusticis etiam sua aetate *veam* vel *veham* appellari testatur nomenque a *vehendo* derivari; cf. *de l. Lat.* V. 22. et 35. ed. Müller. Imprimis autem in iis syllabis, quibus litera **i** accentu caret, ut nostro tempore, ita etiam antiquitus apud homines negligentioris oris atque calamis litera **i** ipsa dicendi incuria in sonum formamque literae **e** facillime transire potuit. Eademque incuria veri ac legitimi soni tam librarium illum, a quo codex Mediceus exaratus est, quam alios multos negligentiores istam scribendi vocabuli *genitricis* rationem amplexos, fortasse etiam quosdam, insolentiae verborum cupidiores quam rationis, eundem vulgi morem secutos vel soni similitudine Graeci vocabuli *γενέτρια* inductos esse dixerim.

5. Sed iam ad Probum veniendum est, quem a Dausquio excitatum Lachmannus ut locupletissimum testem, qui ne novisse quidem hanc vocabuli *genitricis* formam videretur, omnium maxime reverendum putavit. Sane Probus non novit hanc formam; sed istius hominis ignorantia castiganda fuit potius, quam ullo loco testimonii habenda: quem si Bachrius *hist. liter. Lat.* II. p. 585. non ante saeculum quartum, fortasse etiam infra hoc tempus fuisse dixit, ego pro certo affirmare ausim non ante sextum fere saeculum Christianum ponendum esse; adeo tota haec Ars minor plena est barbariae ac perversitatis. Quod iudicium ut ne iniquius vel cupidius fecisse videamur, et istum ipsum locum, quo Lachmannus nitendum putavit, et alios quosdam ex Probi Arte minore hic placet apponere. Itaque ibi legitur in *Analectis Grammaticis* Vindobonensibus ed. Ios. ab Eichenfeld et Steph. Endlicher, p. 341 (538): „Quaeritur quare *monitor*, *monitrix*, et *genitor*, *genetrix* qua de causa *genitor* per **i**, et *genetrix* per **e** literam scribitur.“ Item p. 340. (530.): „Quaeritur qua de causa *Hannibalis* **a** litera, quam habet ante ultimam syllabam, *producto* accentu pronuntietur“ — nullum ille versum Latinum ne nosse quidem videtur —; ibidem (531.): „Quaeritur qua de causa vocativo casu numeri singularis *o dee* per duas **e** literas scribatur“ — formam vocativi *deus* ne nosse quidem videtur; forma *dee* autem vix quemquam scriptorem Latinum usum esse dixerim ante initium saeculi quinti, quo tempore Prudentius Hamartig. v. 930. scripsit: „*O Dee* cunctiparens, animaedor, *o Dee Christe*“ —; item p. 338 (525): „Quaeritur qua de causa *labus* per *b* et non per *p* literam scribatur“ — cuius vel ignorantiae vel negligentiae socium habet scriptorem Virgiliani codicis Medicei; cf. Wagn. Orthogr. Verg. p. 462. — item p. 351. (594.) „*Meus*, pronomen possessivum, . . . declinabitur sic: Numeri singularis: *meus*, *mei*, *meo*, *meum*, *meus*, *a meo*“ — itaque hic vocativi formam *mi* non novit; unicum esse putavit *meus*, qua forma ante Sidonium Apollinarem, i. e. ante finem fere saeculi quinti ullum scriptorem Latinum usum esse negaverim; atque ut Sidonius epist. I. 9. *Solli meus*, IV. 10. *domine meus* dixit, sic quicunque vel pessimis temporibus hac forma usi sunt, hoc non fecerunt, nisi quum *meus* vocativo substantivi postponebant;

unde in precibus ecclesiasticis semper quidem *deus meus*, sed non minus semper *mi deus* repries. — Verum haec, quae augere facillimum est, iam sufficient ad probandum, haec Ars minor Probi nescio cuius quam nihil auctoritatis in rem dubiam afferre possit; quare hominem mittamus.

6. Postremo Lachmannus eandem differentiam esse dixit in *institore* et *obstetricie*, in *meritorio* et *meretrice*, de quibus nemo dubitaret, et hac analogia formam *genetricis* confirmari putavit. Verum ne hoc quidem valebit quidquam. Primum enim eadem differentia esset, si ut *genitrix* a *genitore*, usitato vocabulo, sic *obstetricia* et *meretrice* ab *obstitore* et *meritore* formata essent; quae vocabula nulla unquam fuerunt. Deinde in *obstetricie* et *meretrice* significatio verbi primitivi omnino evanuit, in *genitrice* mansit prorsus eadem. Tertium in *obstetricie* litera **e**, de qua agitur, non est vocalis copulativa, quam dicunt, sed commutata ex litera **a** (ob-statum); quum contra in *genitrici* nihil sit **i** illud, nisi mera vocalis coniungendarum syllabarum causa interposita: in *meretrice* vero litera **e** multo artius cum verbi primitivi *mere-o*, quod est secundae coniugationis, natura cohaeret, quam in *gigno* vel *gen-o*; unde factum est, ut antiquitus non solum *meretrice* dictum sit, verum etiam satis frequenter in inscriptionibus *mereto* et *merito* atque adeo *meritorium* et *meretorium* legatur; cf. Grut. 52, 11. 171, 8. Momms. Inscript. R. N. 2429. et 3545. Quartum denique *obstetricia* et *meretrice* derivata vocabula habent *obstetricius*, *meretricius*; quod secus esse vides in vocabulo *genitrix*. Itaque nullo modo eadem in his vocabulis differentia est, quum eorum, quae de *obstetricie* et *meretrice* diximus, neque in *genitrice* quidquam possit dici neque in ullo eorum nominum, quae eadem ratione formata sunt, velut *admonitrix*, *conditrix*, *creditrix*, *debitrix*, *domitrix*, *proditrix*, *ianitrix*.

7. Quibus expositis appareat, quam non accurate a viris doctis adhuc de hac re disputatum sit. Utriusque formae a monumentis antiquis eadem fere est auctoritas, quam qui alterulri maiorem tribuere volet, suum is arbitrium magis quam rationem sequetur; praeterea ultraque formam Veneris cognomen est, quam nomen appellativum. Post haec si Wagnerus nobiscum recognoscet illud „memorable exemplum consuetudinis atque usus analogiae ac rationi repugnantis:“ concedet, opinor, eam, quae videbatur esse, repugnantiam re satis considerata atque constituta non usus antiqui atque Latini, sed negligentioris dicendi scribendique consuetudinis fuisse; quae refellenda potius, quam amplectenda fuit. Utramque formam, usurpatam antiquis, etiam nos ferre debebimus; probabimus eam, quam ratio flagitat. Addam tamen ad haec etiam aliud quoddam argumentum, quod mihi quidem non omnino negligendum videtur. *Geniticis* nomen semper sanctum quodammodo fuit in Ecclesiae sermone, ob eamque causam integrum hoc vocabulum, ut a principio acceptum est, nulla prorsus mutata literula ab ea conservatum esse crediderim: a qua tamen quum *genitrix* ignorata sit, iam inde ab antiquissimis temporibus usque ad nostram aetatem concelebrata est „sancta dei genitrix.“

Ex his, quae disputata sunt, per se intelligitur, multo minus posse nos concedere Lachmanno grammaticos notanti, „qui adhuc *genitivo* delectantur.“ Levissimae enim vel nullae potius sunt causae istae a codicibus saeculi sexti et proximorum repetitae, quibus *geneticum* debere scribi sibi visus est demonstrare: in quibus refellendis non est quod operam perdamus. Verebimur auctoritates, argumenta examinabimus: in hac re Lachmanni argumenta nulla sunt.

IX. Scribendum esse intelligo, negligo, Virgilius, non intellego, neglego, Vergilius.

1. Paulum etiam in simili quaestione versari et misere vexatae istius literulae I, quam iam antiqui librarii „quodam quasi odio insectati sunt“ in eiusque locum analogia ac ratione repugnante literam E intruserunt, contra recentiores haud ita paucos summatim breviterque partes agere liceat.

Intellegere et neglegere pauci olim, nunc multi scribendum esse statuunt; idque imprimis defendisse invenio Politianum, philogum Florentinum exeuntis saeculi decimi quinti, in eaque re usum esse „auctoritate Prisciani, ratione compositionis, analogia verbi *pellego*, velutis exemplaribus.“ Cuius quum ipsius disputatione caream, in examinandis his rationibus, quas a nullo amplificatas esse video, acquiescendum erit. Ac primum Prisciani nullum ego quidem locum novi, quo in hac re uti teste possis; nisi forte hoc referendum putas I. II. c. 2. p. 62. ed. Krehl. (p. 571. P.): „In compositis quibusdam invenio R in I converti, ut *intelligo* et *pellicio*, pro *interlego* et *perlicio*, *pellego* pro *perlego*, *pelluceo* pro *perluceo*.“ Quibus verbis *intelligo* potius, quam *intellego* confirmari appetet; atque id quidem apparebit eo magis, quum ea quae paulo post afferemus cum his coniunxeris. Itaque Prisciani ista auctoritas, quam dixerunt, nulla est. Multo minus autem compositionis ratio et analogia verbi *perlego* afferri debebat. Etenim compositionis ratio requirit, ut eo magis verbum simplex infringi se patiatur, quo magis compositum a notione simplicis recedat. Idecirco recte dicimus *perlego*, *relego*, in quibus *lego* suam omnino notionem tenet; nemo dicit *dilego*, sed *diligo*, quia in hoc aliquantum saltem a notione simplicis receditur; quod magis etiam fieri vides in *negligo* et *intelligo*. Inde etiam Priscianus X. 6. p. 496. Kr. (p. 895. P.), postquam dixit a *colligo* fieri *colligi*, a *relego* *relēgi*, ita pergit: „*Excipiuntur mutantia simplicis significationem*, NEGLIGO NEGLEXI, DILIGO DILEXI, INTELLIGO INTELLEXI:“ quo loco vide ne *neglego* et *intellego* omnino condemnari debeant, quum *diligo*, quo sine controversia omnes utuntur, ita inter ea positum sit medium. Denique de vetustis exemplaribus quid dicam dubius haereo. Plurimi recentiorum in libris veterum vel *intelligo* scribunt vel *intellego*, discrepantias scripturae non afferunt. Quod qui accurate faceret, unum reperi Ellendium, qui in Ciceronis libris de oratore scripsit quidem ubique *intellego*, *neglego* (nam quod I. 25. 117. non indicata discrepantia legitur *intelligit*, casu factum puto), in commentariis autem criticis ubique declarat, in libris multo pluribus *intelligo* et *negligo* exhiberi. Esto sane, quod dicunt, imprimis in Plauti Terentiique manu scriptis longe frequentissime reperiri *intellego* et *neglego*; quod si ipsis scriptoribus tribuendum est, comicorum proprium videtur esse, ex vulgari communis vitae sermone desumptum, sed a cultiore dicendi consuetudine alienum; de qua re confer quae dicta sunt pag. 20. Neque quod Festus habet, p. 176. Lindem. „*Neclegens* dictus est *non legens*, neque dilectum habens, quid facere debeat“ (cf. Paull. Diac. p. 106.), neque hoc, inquam, aliud potest quidquam efficere, nisi ut ex magis vulgari vocabuli forma eius partes singulae accuratius ostendantur.

Itaque haec omnia, quae Politianus attulit, vel nulla sunt vel contraria eius, quod efficere voluit. Neglecti autem prorsus sunt tam ab ipso, quam a reliquis omnibus lapides. Raro sane utrumque vocabulum in lapidibus reperitur; sed *intellego* et *neglego* in iis quidem inscriptionum collectionibus, quas saepius excitavi, usquam extare nego. Legitur autem INTELLIGATUR apud Orellium 3195. NEGLIGENTIA SUPERIORUM TEMPORUM apud eundem 742., quae inscriptio est

anni 71. post Christum; itemque NEGLIGENTIA apud Gruterum 243. 2. et 243. 3., apud Apianum 195. 2. His igitur sinceris testibus, qui et Prisciani auctoritate et compositionis ratione confirmantur, confisus solitam scripturam *negligendi* et *intelligendi* tuebor; item ut *perlego* recte dices, sic tamen mutata litera **r**, si lapides sequeris, rectius scribes *pelligo*; Grut. 769. 9. 339. 4. 341. 903. 1.; cf. 660. 1.

2. Adiungamus ad haec pauca ad conservandum nomen *Virgilii* poetae. *Vergilium* verum esse nomen quem iam antiquiores nonnulli dixissent, nostra aetate plane demonstrasse sibi visus est multisque et doctissimis viris probavit Wagnerus, *Orth. Vergil.* p. 479., cuius rationes examinabimus. „VERGILIUS, non VIRGILIUS, scribendum esse antiquissimorum librorum, Medicei et Romani, auctoritas probat.“ At in Palatino aliisque neque paucis nequè contempnendis Virgilii codicibus est *Virgilius*; quamquam uno loco in ipsis eius carminibus, Georg. IV. 563., exstat nomen; ceteri sunt „explicit Vergilii Aeneidos lib. I. feliciter“ et similes, ex quibus nihil ad *Vergilium* transtuleris. Adde Horatii codices. Kirchnerus ad sat. I. 5. 40. „*Virgilii* nomen apud Horatium certe et manuscriptorum fere omnium et scholiastarum auctoritate omnibus locis (I. Od. 3. 6. 24. 10. IV. Od. 12. 13. I. sat. 6. 55. Adde art. poet. 55.) confirmatur.“ Quorum mihi quidem non levius videtur esse pondus, quam Medicei, quem similis erroris iam supra p. 20. coarguimus et ipse Wagnerus testis est etiam Aen. XII. 522. prorsus eodem vitio habere *vergulta pro virgultis*. Pergit Wagnerus: „In nummis et *Vergilius* est et *Virgilius*.“ Hoc falsum est. In nummis neutrum reperitur. Eckhelius quos solos commemorat vol. IV. p. 351., eosdem condemnat; inscripti autem sunt P. VIRGILIUS MARO, non *Vergilius*. Frequenter autem tam VIRGILIUS, quam VERGILIUS (tam *Virginius*, quam *Verginius*), in lapidibus legitur, quos Gruteri Index p. 283. et 287. monstrabit; adde Orell. 3877. 4013. 1281. 1683. alios. Utrumque igitur nomen exstisisse apud veteres certum est; incertum, utrum fuerit *Virgilii* poetae.

Unicum igitur et solum Wagneri argumentum auctoritate codicum Medicei et Romani continetur; aliud praeterea addit nullum. Verumtamen libenter profiteor, egregio eum acumine refutavisse veterem istam opinionem, qua *Virgilium a virgis* esse cognominatum ex Calvi versu

„Et vates, cui *virga* dedit memorabile nomen

Laurea“

statuerunt. Hunc enim versum ingeniosissime demonstrat non ad *Virgilium*, sed ad *Tullium Lauream*, Ciceronis libertum, pertinere. Sed elevandis adversariorum argumentis propria ratio nequaquam stabilitur.

Nos ut *Virgilium* poetam tueamur, haec afferimus argumenta. Primum ita hoc nomen per os et sermonem saeculorum nobis traditum est, neque fuerunt, nisi singuli viri docti, qui in venandis literulis identidem *Vergilium* intruderent. Tum *Virgilium* requirit, *Vergilium* respuit Prisciani locus IV. 6. p. 160. Kr. (p. 634. P.): „silva Silvius, *virgula Virgilius*, Mars Martis Martius;“ quas virgas mirabor si Wagnerus eodem acumine a se removerit; nam neque ipse neque alius quisquam hoc loco ad rem, qua de agitur, usus est. Postremo unum habemus lapidem, in quo poetae nomen inscriptum est, iam a Manutio ut firmamentum totius quaestionis recte usurpatum.*). Est haec tabula marmorea, in honorem Claudiani poetae posita ab Arcadio et Honorio,

*). Consulto omisi fictum atque suppositum lapidem, quem Gruterus habet pag. 305. 7.

Romae olim reperla, quae nunc Neapoli servatur; vedit et descriptsit Mommsenius, quem vide num. 6794. (Grut. 391, 5. Orell. 1182.). Post Latina ibi Graecum hoc legitur distichon:

*Ετν εν ΒΙΡΓΙΛΙΟΙΟ νοον και Μονσαν Ομηρου
Κλανδειανον Ρωμη και βασιλης εθεσαν.*

Dum haec refutata et alterius rationis meliora aliquanto quam adhuc factum est, argumenta allata erunt, quicunque recte scribere volent, debebunt scribere Virgilium.

X. Rectius scribi **millies, Pollio, villicus**, quam **milies, Pollio, vilicus**.

